

« TUMULTUS ET RUMOR IN SINAGOGA » Suite d'une enquête

Les textes publiés ci-dessous auraient dû être à la disposition du lecteur depuis plusieurs mois déjà. À l'origine ils devaient constituer une annexe à ma contribution aux *Mélanges* offerts à Noël Coulet, *De Provence et d'ailleurs*, « *Tumultus et rumor in sinagoga*: suite d'une enquête », *Provence historique*, XLIX, 1999, p. 451-459. Pour des raisons techniques et administratives, ce projet n'a pas vu le jour. Ma longue absence de France a aussi contribué à ce retard. C'est en m'excusant auprès des lecteurs de *Provence historique* et de Noël Coulet en particulier, que je publie aujourd'hui ce dossier.

Bien qu'il y ait des ponctuations dans les textes originaux, j'ai jugé nécessaire d'en ajouter ici et là d'autres pour faciliter la lecture. Par contre, les notaires ont écrit le même mot de façon différente (p. ex. « *postravit* » et « *prostravit* ») et employé des cas différents pour la même préposition (p. ex. « *super sanctam legem Moysi* » et « *super sancta lege Moysi* »). Dans cette édition « photographique », j'ai décidé de laisser ces variantes, et même des fautes évidentes, telles quelles, dans l'espoir que cela servira aux chercheurs à l'avenir.

Joseph SHATZMILLER



Annexe A

Manosque, 14 juin 1339 – Feuille égarée dans un registre judiciaire de Manosque. Cette page fait partie d'une série de témoignages à propos des événements graves qui se sont déroulés à la synagogue de Manosque le jour du Pardon de l'année 1338. Sont enregistrés ici un témoignage relativement long du juif Covetus Davinet, ainsi que de courts témoignages d'Astrugus Aurifaber et du rabbin (magister) Vitalis Astrugus.

[Archives départementales des Bouches-du-Rhône, Marseille, 56H984, fol. 35Br^o-v^o.]

[35Br^o] Anno domini MCCCXXXIX die XIII junii. Covetus Davineti judeus unus acusatorum juravit stare mandatis dicte curie et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui ut principalis in suo facto et ut testis in alieno super contentis in dicto titulo sibi lecto et explanato, ut principalis negavit omnia contra ipsum intitulata penitus fore vera. Et ut testis juramento suo dixit se tantum scire de contentis in eo quod die in dicto titulo contenta qua fuit magnum festum inter eos ita magnum festum sicut habent in toto anno et tale quod si aliquis judeus portaret malivolentiam alii, illa die non debet eam portare set debent esse sicut fratres et loqui unus alteri. Et fuit ordinatum inter ipsos iudeos et per syndicos Manuasce illorum iudeorum videlicet per Mossonem et Vitalem Aaron et Leonem Francigenam quod Ysac de Almania, cum sit abitus ad dicendum misterium inter alios, diceret secundum misterium. Ita quod dum dictum fuisset primum misterium dictus Ysac de mandato dictorum syndicorum induit stagmentam et incepit secundum misterium dicere et cum irent ad recipiendum legem seu lo rolle in armario, ubi erat, pro legendo legem Moysi, predicti Abraam et Jacob de Bayera surgentes de loco ubi sedebant, accesserunt ad dictum armarium dum dictus Ysac extrahabat dictam legem et dicto Ysac inhibuerunt sub excommunicationis pena in sua iudayca lingua ne dictam legem legeret quia non erat bene cum eis. Et tunc omnes fere iudey de dicta synagoga confestim ibidem convenerunt horas suas quas dicebant dimitendo et ibidem clamando vociferando aliqui dicentes: « Ymo faciet quia ordinatum est ad legendum eam per syndicos iudeorum. » Et aliqui [dixerunt] quod non faceret. Et sic ibidem per magnam pausam rumor factus fuit inter omnes judeos dicte synagoge et tumultus. Interrogatus si vidit aliquam rixam inter ipsos judeos nec aliquem percuti, dixit quod non aliter nisi quod dum Colunbonus gener Jacob de Bayeras vellet transire ante armarium ubi tenetur lex et ante Leonetum incantatorem qui unam legem tenebat, ipse Leonetus non permisit dictum Colunbonum transsire set cum brachiis vel manibus suis ressavit eundem, dicendo eidem Colunbono quod non debebat transsire per illum locum. [35Bv^o] Predictam autem depositionem dictus Covetus fecit in presentia et audientia magistri Vitalis phisici, Astrugii aurifabri et Astrugii Astrugii Judeorum.

Et ibidem et incontinenti supradicti magister Vitalis, Astrugus aurifabri et Astrugius Astrugii juramentis propriis singulariter et distincte ut testis interrogati super contentis in dicto titulo per dominum Petrum de Valle iudicem dicte curie, audita depositione dicti Coveti interrogati, scilicet si dicta depositio dicti Coveti est vera aut in ea volunt aliquid mutare vel minuere, qui juramentis propriis distincte et singulariter dixerunt quod non quia vera est et prout ipse Covetus deposuit sic ut fuit. Excepto hoc quod dictus magister Vitalis et Astrugius Astrugii dixerunt quod inter duo officia fuit dictus rumor et tumultus, videlicet quando dictus Ysac volebat extrahere legem.

Colligatur contra Abraham et Jacob de Bavieras.
Colunbonum et Leonetum Cocerium.

*
* * *

Annexe B

Manosque, – 30 janvier 1339 – Enquête à propos des agressions qui se sont produites dans la synagogue de Manosque « aujourd'hui », le jour du Sabbat. Au cœur de la dispute sont les accusations contre la famille « de Ratel » [est-ce le nom de la ville de « Reibel » dans les Ardennes françaises?] Selon certains juifs, des membres de cette famille auraient organisé dans leur maison des parties de jeux de roulette. L'un des belligérants, frappé sur les tempes, perdit connaissance.

[Archives départementales des Bouches-du-Rhône, 56H984, fol. 67r^o-69v^o]

[67r^o] Contra Creysonum et Eliot de Chartres fratres et Simone Mossonum de Ratel, fratres judeos.

Anno quo supra die penultimo mensis januarii. Inquisitio facta fuit per curiam predictam tam ex suo officio quam ad denuntiationem nonnullorum fidedignorum contra Creysonum et Eliot de Chartres fratres et Simonem et Mosonum de Ratel fratres judeos habitatores Manuasce ex eo et super eo quia ad aures ipsius curie noviter pervenit quod predicti hodie que est dies sabati dum cum aliis congregati essent in eorum sinagoga pro eorum officio discendo, ipsi autem accusati ipsum officium disturbantes ad invicem pelegiam habentes non advertentes quam grave est divinum officium perturbare, in ipsa sinagoga se irato animo acceperunt verberaverunt et percusserunt cum pugnis et pedibus et in terram prostraverunt et multas injurias unus alio dixit et specialiter Simon et Mosonus. Que cum sint mali exempli et correctione digna ideo dicta curia contra eos ad inquirendum processit ut sequitur.

Eodem die Creysonus de Chartres judeus, unus acusatorum, juravit super sanctam legem Moysi stare mandatis curie predictae et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo requisitus juramento super contentis in titulo inquisitionis predictae dixit et sponte confessus fuit verum fore quod cum Jacob de Chartres pater ipsius deponentis diceret dicto Simon de Ratel: « Vos et uxor vestra recolligitis ludum in domo vestra et male facitis », tunc Simon respondit dicto Jacob: « Vos non dicitis veritatem, addens, aysi Diaus vos meta en ?malaveno, vos mentes ». Tunc ipse deponens dixit dicto Simoni: « O eblastemas patrem meum. Vade extra. » Et cum essent infra scola ad ianuam tornatam percussit cum manu ad templum quia etiam ipse in furore percusserat dictum patrem suum. Cetera contra ipsum intitulata negavit penitus fore vera.

Cui fuit data X dierum deffensio.

Eodem die Eliot de Chartres judeus unus accusatorum juravit stare mandatis curie predictae et dicere veritatem super legem Moysi super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo requisitus juramento super contentis intitulo inquisitionis predictae dixit et sponte confessus fuit quod cum dictus Simon et Mossonus eius frater blasphemarent patrem ipsius deponenti ipse violenter accepit dictum Simonem ad capucium et tiravit ut eyceret eum extra primam scolam. Cetera contra ipsum intitulata negavit penitus fore vera.

Cui fuit data X dierum deffensio. Pro eis Jacob eorum pater ad omnimodam curie voluntatem.

Leon Frances dicit quod Mossonus dixit Jacob: « Non dicitis veritatem. »

Anno Domini MCCCXXXVIII die XV martii, R. Gontardi nuncius retulit mihi Petro Athanulffi vice notario curie se mandato domini Petri de Valle iudicis, suprascriptos judeos acusatatos citasse ut die mercurii in curia predicta debeant comparere audituri sententiam super premissa inquisitione alias eorum absentia procedere ad ipsorum sententiam proficendi.

[67v^o] Anno quo supra die XVII martii. Supradictus Simon de Ratel unus acuatorum iuravit super sancta Dei evangelia stare mandatis curie et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui ut principalis in suo facto et ut testis in alieno iuramento suo ad dictam aquiniam interrogatus super contentis in dicto titulo sibi lecto, ut principalis iuramento suo dixit verum fore quod die in dicto titulo contenta ipse deponens et Mossonus de Ratel frater suus cum essent in scolis causa ad orandi et dicendi horas suas prout moris est iudeorum et reposuissent seu inclusissent rolle seu legem Moysi, magister Vitalis Fiscus cum aliquibus iudeis de scolis incepit loqui et dicere quod aliqui iudey recolligebant infra eorum domos aliquos iudeos causa ludendi ad molonetos iudeorum (*sic!*), in tantum quod Jacob de Chartres pater supradictorum Eliot et Creyssoni et dixit ipso deponenti: « Iste Simon de Ratel et uxor sua non faciunt nisi recolligere in domo sua istos iudeos ludentes. » Qui deponens respondit ei: « Ayssi vos aiut Dieus. » Et sic nomando similis venerunt dici Creyssonus et Eliot similiter et inpinxerunt se versus dictum deponentem, et dictus Elyot accepit eum ad collum et ad capillos, et credit etiam quod dictus Creyssonus etiam cum dicto Elyot, volentes ipsum deponentem in terram proycere et de persona offendere nisi fuissent circumstantes qui eos removerunt. Et cum dictus Creyssonus videret quod ipsum removerant super ipsum deponentem, inpinxit se versus Mossonum predictum fratrem ipsius deponentis et cum pugno magna ictu ad pols in capite percussit ita et taliter quod in terram postravit et loquelam per magnum spatium admisit, ita quod circumstantes credebant quod plus speraretur de morte ipsius Mossoni quam de vita. Interrogatus si eo tunc dum fuit dicta pellagia dicebatur misterium ipsorum iudeorum, dixit quod sic, maior oratio ipsius misterii videlicet *Sanctus*. Interrogatus si propter rumorem predictum seu pelegiam fuit disturbatum divinum officium predictum, dixit quod credit set non bene recordatur, nisi quod bene XL iudey vel circa venerunt circumquare dictum Mossonum qui solo ceciderat et loquelam admiserat et respiciebat eum. Et fuit factus tumultus inter omnes iudeos qui in dicta sinagoga erant congregati dicentes horas ante dictam pelagiam. Et postea non dixerunt, set eo tunc dictas oras seu ipsum officium dicere cessaverunt. Interrogatus de presentibus [dixit quod] Abraam de Bayeras et Jacob eius filius, Fossonus de Bellicadro et plures alii. Et ut testis interrogatus dixit se nil aliud scire de contentis in eo nisi quod supra deposuit.

Eodem die supradictus Mossonus de Racel unus acuatorum iuramento suo interrogatus ut principalis super contentis in dicto titulo, iuramento suo dixit in omnibus et per omnia prout supra dictus Symon frater suus. Et ut testis etiam ut supra.

[68v^o] Eodem die Aronetus Vitalis testis iuravit super sanctam legem Moyssi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui iuramento suo interrogatus super contentis in titulo inquisitionis predicte iuramento suo dixit se tantum scire de contentis in eo quod dicta die in dicto titulo contenta vidit quod dum divinum officium in scolis dicebatur secundum morem iudeorum et dicti Symon et Mossonus fratres de Ratel et Jacob de Chartres et Elyot et Creyssonus dicti Jacob filii veniebant similiter in dictis scolis in tantum quod unus ex dictis filiis dicti Jacob venit, nescit quis amborum erat, et accepit dictum Symonem retro ad cotulam caputi et tirabat eum volens eum proycere extra de scolis. Et postea incontinenti vidit dictum Mossonum iascentem in solo, qui non loquebatur ne múya nec suya. Interrogatus quis dictum Mossonum in terram seu solo proiescerat, dixit quod non [scit] nisi quod dicebatur inter iudeos qui erant in dictis scolis quod unus ex dictis filiis Jacob fecerat,

tamen non audivit quis ipsorum. Interrogatus si divinum officium propter dictam pelegiam disturbatum fuit seu cassatum, dixit quod nescit. Ita magnus rumor et magnus clamor et tumultus erat tunc inter eos quia tunc quando hoc fuit dicebatur quedam oratio quam vocantur iudei *Sanctus, Sanctus*, et omnes iudei eam respondebant, excepto quod quando viderunt dictum Mossonum in terram sic traccatum, omnes venerunt [vel] quasi maior pars et respiciebant dictum Mossonum sic in terram protractum. Et tunc cessaverunt illi iudei respondere dictam orationem, set pro certo nescit si ille qui dicebat seu cantabat dictam orationem eo tunc cessavit quia non potuit audire, ita magnus clamor erat inter eos.

Eodem die Leonus giperius testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo interrogatus juramento super contentis in titulo inquisitionis predictae juramento suo dixit se tantum scire de contentis in eo videlicet quod die in titulo contenta que erat dies sabati ipse deponens erat in scolis et dum dicebatur divinum officium eorum ipse audivit quod Jacob de Chartres conquerebatur de dicto Symone de Ratel et de uxore sua ita quod dicebat quod dictus Mossonus et uxor sua recolligebant infra domum eorumdem pueros dicti Jacob ad ludendum cum molonetis denariorum et sic verbis contendendo, dictus Symon respondit dicto Jacob quod mentiebatur per gulam. Et tunc venit Eliot filius dicti Jacob et accepit dictum Symonem ad culam caputii quod portabat per manitum indutum, et tirabat eum dicendo eidem Symoni: « Vade extra de scolis! ». Et plura nescit nisi quod tunc audivit quod Creyssonus filius dicti Jacob aut Elyot frater eius ipsum in terram postraverant. Interrogatus si propter pelegiam predictam fuit disturbatum dictum officium eorum, dixit quod nescit, ita magnus tumultus et clamor fuit tunc inter eos pretextu pelegie antedictae, set crederet quod non.

[68v°] Eodem die Abraam de Tritis iudeus testis juramento suo interrogatus super contentis in dicto titulo juramento suo dixit se nil aliud scire de contentis in eo videlicet quod die sabati in dicto titulo contenta ipse deponens erat in sinagoga eorum cum aliis iudeis dicti loci Manuasce et cum ipse deponens diceret eorum officium secundum morem ipsorum iudeorum, ipse audivit inter ipsos iudeos in dicta sinagoga magnum rumorem et altercationem et clamorem seu tumultum ex eo quia dicebatur, prout audivit postea quod filii Jacob de Chartres verberaverant dictos Symonem et Mossonum de Ratel in dictis scolis videlicet dictum Symonem per capillos calpiraverat et dictum Symonem cum pugno verberaverant et percusserant, tamen pro certo non vidit set scit ut predixit nisi auditu dici.

Eodem die Vitalis Salamias testis juramento suo interrogatus super contentis in dicto titulo, juramento suo dixit in omnibus et per omnia prout supra dixit Leo giperius testis supra auditus excepto hoc quod non audivit quod dismentitus fuit dictus Symon dictum Jacob.

Eodem die Bonafos Ysac de Montepesulano testis juramento suo interrogatus super contentis in dicto titulo, juramento suo dixit se tantum scire quod dicta die sabati ipse erat in scolis et vidit quod dum dicebatur officium eorum, Jacob de Chartres noviatbat cum dicto Symone super questionem quam habebant de quadam ludo, ita quod vidit quod Elyot tiravit dictum Symonem per capucium et venerunt aliqui et diviserunt eos. Postea vidit quod Creyssonus filius Jacob percussit cum manu in capite ad pulssum Mossonum fratrem dicti Symonis ita quod in terram post-ravit et magnus clamor et tumultus in dicta sinagoga inter dictos iudeos existentes fuit. Interrogatus si propter dictum tumultum officium eorum fuit disturbatum, dixit quod pro certo quod non bene recordatur quia diu est quod dicta pelegia fuit.

Eodem die Bondia de Aquis testis juramento suo dixit se nichil scire quia non erat in scolis set bene audivit dici de multis judeis quod magnus rumor et tumultus fuerat in sinagoga dum eorum officium dicebatur et bene se habuerat Abraam de Tritis qui dictum officium dicebat quia dictum officium propter dictum tumultum dicere non permiserat. Interrogatus si audivit dici quis dictam brigam fecerat, dixit quod audivit de filiis Jacob de Chartres et de dictis Symone et Mossono de Ratel fratribus.

Eodem die Aronetus Vitalis testis juramento suo interrogatus super contentis in dicto titulo sibi lecto, juramento suo dixit se tantum scire de contentis in eo videlicet quod dicta die sabati in dicto titulo contenta, ipse deponens existens infra synagogam cum aliis iudeis dum dicebatur eorum officium vidit quod dictus Elyot filius Jacob de Chartres necnon et Creyssonus frater ipsius Eliot dum dictus Jacob eorum pater contenderet verbis cum dictis Symone et Mossono de Ratel fratribus de quodam ludo, dictus Elyot accepit dictum Symonem ad capucium et ipsum malitiose tiravit dicendo: « Vade extra dictam sinagogam. » Et postea vidit quod dictus Creyssonus inpinxit se versus dictum Mossonum et cum pugno ipsum in capite ad pulssum percussit ita quod in terram cecidit et loquelam par magnum spatium admisit et dicebatur quod plus sperabatur de dicto Mossono de morte quam in de vita. Interrogatus si fuit tumultus vel clamor in dicta sinagoga inter iudeos stantes tunc in eadem, dixit quod ita. Interrogatus si fuit disturbatum officium seu misterium quod tunc dicebant inter eos, dixit quod ipse propter dictum tumultum seu clamorem non potuit dicere *Sanctus! Sanctus!* quod dicebant tunc inter eos. De aliis nescit set bene vidit plures iudeos qui murmurabant et tumultum faciebant quia videbant dictum Mossonum in terram postractum qui non poterat loqui. Et plura dixit se nescire.

Colligatur contra Creyssonum et Eliot fratres de Chartres.

Collecta est contra quibus in X libris.

*

* *

Annexe C

Manosque, 28 novembre 133[8] – Enquête concernant de graves événements dans la synagogue de la ville. A l'origine des agressions était un échange d'insultes entre deux femmes, qui, une fois hors de la synagogue, furent soutenues par leur parenté.

[Archives départementales des Bouches-du-Rhône, Marseille, 56H984, fol. 51r^o-53v^o.]

[51r^o] Contra Provinciam Petitam uxorem Habraham de Areis, Bon Nomen et Manon judeos et Graciosam nurum dicte Provinciale Graciosam judeam et omnes alios culpabiles.

Anno quo supra die XXVIII mensis novembris, inquisitio facta fuit per curiam Hospitalis Manuace ex suo officio contra Provinciam Petitam uxorem Habraham de Areis, Graciosam nurum dicte Provinciale, judeas, et Bonnomum et Manonum filios dicte Provinciale, judeos, et omnes alios culpabiles de subscriptis ex eo et super eo quia ad aures ipsius curie noviter pervenit quod predicti, Dei timore et amore post positis, non advertentes quam grave est divinum officium disturbare, hodie dum congregati essent in sinagoga pro eorum divino officio celebrando ut moris est judeo-

rum cum sit dies sabati, brigam seu pelegiam ad invicem habentes unus alium verberavit, percussit et vulneravit ac unus contra alium multas verbales injurias dixit, ipsum eorum divinum officium totaliter disturbando. Que cum sint mali exempli et correctione digna, ideo dicta curia contra eos et alios culpabiles ad inquirendum processit ut sequitur.

Eodem die super accusata Petita judea juravit super sancta lege Moysi stare mandatis curie predictae et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisita, que suo requisita juramento super contentis in dicte inquisitionis titulo sibi lecto et vulgariter exposito juramento suo negavit omnia contra ipsam intitulata penitus fore vera. Set dixit fore verum quod dum ipsa deponens exiebat de synagoga cum quodam suo puero quem portabat in uberis suis, supradicti Bononomus et Manonus et dicta Provincialia eorum mater exeuntes etiam de dicta synagoga acceperunt ipsam deponentem ad capillos ita quod in terram postraverunt et tirassaverunt de janua synagoge per carreriam usque domum Raymundi Valentie, alias Valentiete, condam, et ipsam deponentem cum pugnibus et lapidibus et pedibus percusserunt et vulneraverunt in capite, prout apparet, ita quod sanguinis effusio emanavit et jam fortius verberassent eam et vulnerassent nisi fuisset Guillelmus Pandulphi qui dictos Bononomum et Manonum et Provincialiam removere super eam fecit.

Eodem die super accusatus Bononomus judeus juravit stare mandatis curie et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo requisitus juramento [51v^o] super contentis in dicto inquisitionis titulo sibi lecto, juramento suo dixit fore verum quod statim vidit quod dicta Petita infra dictam synagoram percussit dictam Provincialiam matrem suam in ore cum pugno dicendo eidem: « En puta vielha o comprates. » Et postea dicta Petita non contenta de premissis dictam Provincialiam ad capillos accepit et in terram eam postravit et de dicta synagoga tenendo eam ad capillos in dicta carreria tirassavit. Et tunc ipse deponens videns hoc quod dicta Provincialia ita male per dictam Petitam tractabatur, et exivit de dicta synagoga et accessit ad dictam Petitam et eam ad capillos accepit et eos eidem fortiter tiravit set non cecidit in terram pro certo. Et tunc venit Senhoronus iudeus frater dicte Petite et ipsum deponentem cum pugnibus in collo et in capite percussit et duas alapas sibi dedit, volens ipsum offendere plus de persona, nisi fuisset Guillelmo Pandulphi qui eum removere fecit. Cetera negavit contra ipsum intitulata penitus fore vera.

[*en marge*: Confitetur accepisse ad capillos et tirasse.]

Die XXX november Fossonus Jacob testis juramento suo interrogatus super contentis in dicto titulo sibi lecto, juramento suo dixit se nil aliud scire super contentis in eo nisi quod dicta die sabati in dicto titulo contenta, vidit dum exiebat de scolis ipsorum iudeorum quod dicta Provincialia et Mannonus eius filius et Petita judea supra in dicto titulo nominati ante januam dicte synagoge in carreria simul ad invicem verbis contendebant et unus alium videlicet dicti Manonus et Provincialia cum manibus butabant dictam Petitam, et dicta Petita dictos Provincialiam et Manonum. Et plura juramento suo dixit se nescire.

[*en marge*: Mater et filius butabant Petitam.]

Eodem die Regina uxor Bendichoni iudey testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super hiis [super quibus] fuerit requisita, que suo requisita juramento super contentis in titulo inquisitionis redicte dixit super eo se penitus nihil scire quia non erat presens.

Eodem die Sperandonus judeus testis juravit super sancta lege Moyssi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo requisitus juramento

super contentis in dicto titulo sibi lecto, juramento suo dixit se tantum scire quod dicta die sabati in ipso titulo contento vidit et audivit quod dicta Provinciala et Manonnus et dicta Petita iuxta januam synagoge dum exiebant in carreria simul verbis contendebant ita quod inter cetera [52r^o] audivit quod dicta Petita vocavit dictam Provinciam *vielha serventassa*. Et tunc dictus Manonus audiens hoc, accepit dictam Petitam ad capillos et in terram in carreria ante januam dicte synagoge postravit ita quod aliqui iudey venerunt et diviserunt eos. Ita quod Petita surrexit. Et cum surrexisset et supra dicta Gratiola in dicto titulo intitulata contenderet verbis cum dicta Petita, dictus Bonnomus vir dicte Gratiolae accepit dictam Petitam ad capillos et in terram postravit prout sibi videtur. Et tunc venit Senhoronus frater dicte Petite et dixit dicto Bonnomo: « Quare facis tu hoc? ». Et butans ipsum Bonnomum cum manibus, et tunc per aliquos judeos, de quorum nomina dixit se non recordari, fuerunt divisi et retenti.

[*en marge*: Uxor Bendichoni, uxor Symon, Mayroneta, filius Magistri Bonafocii, Vitalis de Salamias, Petit iudeus, Fossonus filius [Jacob?], Guillelmus Pandulffi, Ysac de [Ares].

Eodem die Regina uxor Jacob de Chartres testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisita, que suo requisita juramento super contentis in dicto titulo, dixit se nichil scire nisi [quod] dum exiverat de scolis et iret versus domum suam cum quibusdam iudeis ipsa audiens rumorem seu brigam que erat inter dictos Provinciam, Mannonum et Petitam vidit tunc quod dictus Mannonus accepit dictam Petitam ad capillos et eam cum quodam puero quem portabat in terram postravit. Et plura juramento suo dixit se scire.

Eodem die Isac de Alamania juravit super sancta lege Moysi dicere veritatem super contentis in dicto titulo, juramento suo dixit se nichil scire quia non erat tunc in dicta pelegia presens.

Anno quo supra die prima december Symon Davit iudeus testis juravit super sancta lege Moysi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus qui suo requisitus juramento super contentis in dicto titulo sibi lecto, juramento suo dixit se penitus nichil scire quia ipse erat superius in scolis, et briga fuit ut audivit in carreria ante januam dicte scole, quare non potuit videre. Set dum exivit postea de scolis vidit in carreria predicta dictam Petitam que portabat bendam suam in capite tortam, et dicebatur quod habuerat nescit que nova cum dictis Provinciala et Mannono et Bonnomo. Et plura dixit se nescire.

[52v^o] Eodem die Bonnomus filius Abraam de Salamias iudeus testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo requisitus juramento super contentis in dicto titulo juramento suo dixit se nichil scire nisi quod quando exiebat de scolis vidit ibi in carreria dictam Provinciam que se bendabat et dictam Petitam, etiam que erat in preilons? Et plura dixit se nescire nec aliud vidisse nisi quod supradixit.

Eodem die Vitalis Salamias testis juramento suo interrogatus super contentis in dicte inquisitionis titulo sibi lecto et vulgariter explanato, juramento suo dixit se nichil aliud scire de contentis in eo nisi quod dicta die sabati proxime lapsa ipse deponens cum exisset de scolis vidit in carreria ante dictas scolas dictam Petitam que erat desbendata et vidit quod dicta Petita accepit dictam Gratiolam uxorem dicti Bonnomi ad capillos et eam calperirabat, et tunc venit dictus Bonnomus et accepit dictam Petitam etiam ad capillos ita quod in terram postravit. Et tunc venerunt Guillelmus Pandulffi notarius et quidam iudey et iudee et diviserunt eos.

Interrogatus si vidit quod Senhoronus judeus frater dicte Petite percusserit tunc dictum Bonnonomum dixit pro certo quod non vidit. Et factis sibi pluribus interrogationibus dixit se nichil aliud scire quam supradeposuit.

Anno quo supra die II decembris Petit filius Leonis iudeus testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super contentis in titulo predicto sibi lecto, qui juramento suo dixit se nil aliud scire nisi quod vidit ante januam domus Leonis Francisci dictam Provincialam et Petitam predictam in dicte titulo contentas. Ita quod ad invicem habebant verba de quibus non audivit nisi quod dicta Petita vocabat dictam Provincialam syrvencausa de tot lo mont. Et tunc dictus Mannonus venit versus dictam Petitam et dixit ei: « Tu iniurias matri mee », et accepit dictam Petitam ad capillos et tiravit ita fortiter quod eam clinari fecit versus terram set pro certo non cavit sibi si cecidit in terram nec ne. Et postea vidit quod dicta Provinciala et dicta Petita ad invicem se pelegiaverunt et ad capillos se acceperunt. Et plura dixit se nescire quia recessit incontinenti verssus domum suam.

Eodem die dictus Manonus unus acusatorum juravit super sanctam legem Moysi stare mandatis curie et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui ut principalis in suo facto et ut testis in alieno juramento suo interrogatus super contentis in dicte inquisitionis titulo sibi lecto et vulgariter explanato, ut principalis juramento suo dixit quod die sabati proxime lapsa ipse erat in scolis iudeorum et vidit quod Petita [53r^o] in dicto titulo contenta dicebat dicte Provinciale matri sue: « Eputa vielha, malvaysa, » et percussit eam cum pugno in ore, et hoc fuit infra dictas scolas. Et dum dicta Petita exiebat de scolis et erat in carreria [Provinciala] accepit dictam Petitam ad pilos et in terram postravit, ita quod dicta Petita surrexit et postea accepit ad pilos Gratosam sororiam suam uxorem dicti Boninominis fratris sui, et tunc dictus Bonnonomus videns quod dicta Petita tenebat ad capilos dictam Gratosam uxorem suam accepit dictam Petitam dictus Bonnonomus ad capillos et dum sic calpiraret eam, venit Senhoronus frater dicte Petite et accepit dictum Bonnonomum et cum pugno percussit bis dictum Bonnonomum in collo et duas alapas sibi dedit. Cetera contra ipsum intitulata negavit penitus fore vera. Et ut testis dixit se nichil aliud scire quam supra deposuit.

Eodem die Mayroneta judea testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisita, que suo requisita juramento super contentis in dicto titulo sibi lecto, juramento suo dixit se nil aliud scire nec audivisse de contentis in eo nisi quod vidit quod dictus Mannonus accepit ad pilos dictam Petitam et eam in terram postravit. Et tunc ipsa deponens domum suam intravit. Et plura dixit se nichil aliud scire quam supra dixit.

Eodem die dictus Senhoronus judeus unus acusatorum juravit stare mandatis curie et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisitus, qui suo requisitus juramento ut principalis in suo facto et ut testis in alieno super contentis in dicte inquisitionis titulo sibi lecto et explanato, juramento suo negavit omnia contra ipsum intitulata penitus fore vera. Et ut testis dixit se nil aliud scire nisi quod vidit quod dictus Bonnonomus acceperat dictam Petitam sororem suam ad capilos et in terram in carreria ante scolas postravit et per haca ? varalhavit eam. Et plura juramento suo dixit nescire.

Eodem die Astes judea testis juravit super sanctam legem Moysi dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisita, que suo requisita juramento super contentis in dicte inquisitionis titulo sibi lecto juramento suo dixit se nichil scire de contentis in eo quia non vidit nec audivit quod aliqua verba iniuriosa se ad invicem

dixissent seu pelegiassent nisi quod extra in carreria ante januam filie domine Englesie vidit dictam Petitam desbendadam. Et tunc recessit et plura nescit ut dixit.

Eodem die Bonadonna iudea testis juramento suo interrogata dixit se de contentis in dicto titulo nichil scire nisi quod vidit quod dictus Mannonus calpiravit dictam Petitam ita quod in terram postravit. Interrogata si vidit quod dictus Senhoronus percusserit dictum Bonnonomum, dixit pro certo quod non.

[53v^o] Eodem die supra acusata Provinciala una accusatorum juravit super sanctam legem Moysi stare mandatis curie et dicere veritatem super hiis super quibus fuerit requisita, que suo interrogata juramento super contentis in dicto titulo sibi lecto, juramento suo ut principalis negavit omnia contra ipsam intitulata penitus fore vera nisi quando Mannonus filius suus calpiravit dictam Petitam et ipsa deponens removebat et dividebat supra dictam Petitam et dictum Mannonum ut non se offenderent. Et ut testis dixit se nichil amplius scire quam supra deposuit.

Eodem die supra acusati Provinciala, Bonnonomus et Manonus juraverunt stare mandatis dicte curie et se representare tostiens quostiens per ipsam curiam fuerint requisiti et solvere condemnationem si propter ea eos vel quemlibet ipsorum contingitur condemnari. Et fideiussit unus pro alio. Et pro predictis acusatis fideiusserunt Gratiosa et Bella iudea sorores ipsius Bonnonomi. Et juraverunt omnes.

Fuit dictis acusatis data X dierum deffensio.

Colligatur contra Provincialam et duos filios suos et Graciosam, Petitam et Senhoronum.

Collecta.